



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XIII. De conscientia scrupulosa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

18. Inferes undecimò. Sacerdotem ordinatum ab Episcopo incognito, de quo dubitatur, an sit Episcopus, iterum esse ordinandum. per c. *presbyteris*. disp. 68. Dubitantem de baptismo non prius ordinandum esse, quam sit iterum sub conditione baptizatus, per c. *veniens*, de *presbytero non baptizato*. Ecclesiam esse consecrandam, de qua dubitatur, an sit consecrata, per c. *solemnitates*, de *consecrat. d. 1.* quia dubia de baptismo, ordinatione, consecratione sunt dubia facti, quæ non præsumuntur, donec probentur: præter alia pericula, & inconvenientia, quæ sequerentur ex nullitate Baptismi, Ordinis &c.
19. Inferes duodecimò. Dubita invincibiliter de impedimento matrimonii sine dispensatione posse contrahere matrimonium, quamquam melius, & in futurum cautiùs faciet, si pro meliori esse dispensativam declarationem petat. Uterque Sanch. & Casaraugust. disp. 119. dub. 10. Prohibitio quippe contrahendi fundatur super impedimento, quod non præsumitur, donec probetur, ac proinde contrahens est in possessione suæ libertatis. Dubitantem verò de morte conjugis prioris, nec licitè contrahere, nec durante tali dubio invincibiliter licitè posse petere

debitum, per c. *dominus de secund. nupt.* quia cum mors conjugis sit aliquid facti, non præsumitur, donec probetur, ideoque contrahens nunquam constituitur possessor bonæ fidei. Permittitur tamen reddere debitum, quia cum alter conjugum sit in bona fide [ut supponitur] non est suo jure fraudandus: Quamdiu verò unus conjugum non est bonæ fidei possessor, vel quia cum vincibili dubio impedimenti contraxit, vel dubium durante matrimonio exortum vincere neglexit, prohibetur à petendo debito, per c. *inquisitione de sent. excomm.* nam possessor dubitans vincibiliter, quamvis possit rem retinere, quoque rem rem investigaverit, aut dubium ex vincibili vincibile effectum fuerit, tamen illa activè, eamve alienare non potest: atqui petens debitum activè utitur matrimonio: ergo durante tali dubio, debitum conjugale exigere non potest. In redditione verò debiti cum sit quasi usus passivus servitutis, idcirco comparatem in bona fide constitutam illa fraudare non potest. Quod si dubium fiat invincibile, non tantum reddi, sed etiam peti posse debitum, cum possessor bonæ fidei non sit privandus usu activo rei possessæ, dictum est supra.

DISPUTATIO XIII.

DE

Conscientia scrupulosa.

Quamvis Conscientia scrupulosa non constituat speciem conscientie essentialiter ab aliis distinctam, sed solum accidentaliter, ideoque ad alias Conscientie species juxta supra dicta, facile revocari possit, quia tamen timoratis etiam piusque animabus, nec non earum Curatoribus & Confessariis crebro multum facessit negotii, tricas & cruces accumulat, operæ pretium censui de scrupulorum causis & remediis ex probatis Authoribus aliqua specialius tractare. Sit igitur

ARTICULUS I.

Quid sint, & unde proveniant scrupuli?

SUMMARIÆ.

1. Quid sit scrupulus?
2. Scrupuli differentia à dubio.
3. Scrupuli differentia à scientia & fide.
4. Potest scrupulus consistere cum conscientia certa & probabili.
5. Scrupulus tam de præteritis est, quam futuris.
6. Indicia, è quibus cognoscitur scrupulosus.
7. Radices scrupulorum ex parte animæ.
8. Et ex parte corporis.
9. Causa extrinseca scrupulorum.

§. I.

Quid sit Conscientia scrupulosa?

PRIMò: Scrupulus à quo Conscientie scrupulosa denominatio, est quædam inanis ex levi vel nullo fundamento orta suspicio, quæ cum animi anxietate timeretur, vel creditur alicubi subesse peccatum, ubi nullum subest. Unde duo sunt, quæ ad rationem scrupuli pertinent: primò, ut sit quædam saltem suspicio apprehensiva peccati, vel periculi ipsius, quæ in voluntate ge-

nerat anxietatem. Secundò: ut sit ex levi, vel nullo fundamento; si enim sit ex rationabili fundamento, constituet verum dubium. Inchoativè scrupulus est in apprehensione peccati ex levi, vel nulla ratione; complete & formaliter in judicio, assensu & actuali credulitate peccati, quæ illam apprehensionem consequitur, unde animi anxietas & perplexitas generatur.

Differt igitur primò scrupulus à dubio proprio sumpto, quia hoc relinquit animum suspensum ab assensu utriusque partis; scrupulus vero potest consistere cum duplici assensu, uno practico, quo per conscientiam certam judicat aliquid licitè esse licitum; altero speculativo, quo sine rationabili fundamento ex parte iudicii speculativi libenter credit & timet se peccare. E.g. Clericus infirmus format conscientiam practicè certam, quòd licitè omittat recitationem Breviarii, quia Confessarius & Medicus ita judicant, & ipse licitè sequitur eorum consilium, idque suæ privatae opinioni præfert. Nihilominus patitur antea-

tatem, eò quòd ex parte iudicii speculativi sine sufficienti fundamento existimat infirmitatem non esse tantam, ut excuset à recitatione breviori.

Differt secundò à scientia, opinione, & fide. A scientia quidem, quia hæc nititur evidentibus fundamentis, & excludit omnem formidinem oppositi. Ab opinione; tum quia ista semper habet conjunctum assensum, scrupulus verò aliquando in sola apprehensione consistit; tum quia opinio non necessariò infert animi anxietatem & perplexitatem. Similiter differt à fide, quia hæc semper habet determinatum assensum, nec de se affert animi perturbationem.

Hinc Colliges primò. Posse scrupulum consistere cum conscientia certa & probabili; nam potest quis formare Conscientiam practicè certam de honestate operationis, quamvis ex parte iudicii speculativi tantum habeat opinionem cum formidine oppositi, ut seq. Disput. latius expendemus: ergo pariter potest formari iudicium practicum & conscientia certa de honestate operationis, ut tamen in iudicio speculativo maneat non tantum formido, sed etiam anxietas de honestate ipsius ex levi vel nulla ratione, quod est scrupulus.

Colliges secundò. Scrupulum aliquando esse de præterito, aliquando de peccato futuro. De præterito, ut si absque alicujus ponderis ratione dubites, an consenseris tentationi? an fueris voluntariè distractus? an absolveris horas Canonicas? &c. De futuro, ut si similiter dubites, vel existimes, te esse obligatum ad repetendam aliquam horam, ad confessionem alicujus peccati, quod nullum est, ad reiterandam confessionem, ad omitendam s. Communionem &c.

Colliges tertio. Quibus indicibus cognosci possit, an aliquis sit scrupulosus? Generalis itaque modus cognoscendi scrupulosum, est, si Pater spiritualis deprehendat aliquem in una, vel pluribus materiis crebrò sine aliqua rationabili causa suspicari se peccare, vel peccasse, ubi nullum subest peccatum. Quibus plura addit Josephus Rosell in præclaro libello de praxi deponendi Conscientiam c. 11. si quem videat derebus notis, facilibus, planis & indubitatis frequenter dubitare. Si post responsum à Viro docto & prudente acceptum, necdum sit animo composito & quieto. Si extraordinarià cautelà, motibus, modis, & gestibus ridiculis peccata & imperfectiones etiam leves fugiat: e.g. concutiendo caput, suspirando & cœlum aspiciendo, frontem sæpe signando &c. si, quæ antea non habebat pro peccatis, modò habere incipiat; si occurrente alicujus præcepti executione, v.g. recitatione Horarum, administratione Sacramentorum, ita patiar se perturbari anxietatibus, ut penè red-

datur ineptus, vel amenti similis: si actiones exequendas ob instantem scrupulum modò intermittat, modò resumat &c. si peccata jam antè per absolutionem remissa, identidem in confessionibus repetat, quasi antehac non satis exposuisset, vel insufficientem dolorem eliciuisset &c.

§. II.

Qua causa & radices scrupulorum?

Causa seu radices scrupulorum aliæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. Intrinsecæ rursus vel sunt ex parte animæ, vel corporis. Ex parte animæ solet esse primo cervicosa quædam superbia, & proprii iudicii tenacitas, nolentis alienis monitis & prudentum consiliis acquiescere; quamdiu enim abest ejusmodi pertinacia, facilis est remedio locus, & conscientia magis erit timorata, quam scrupulosa. Est secundò immoderatus amor sui, quo quis movetur, ut cum nimia perturbatione adhibeat cautelam fugiendi quæcunque peccata metu pœnæ pro illis in altera vita solvenda. Unde contingere solet homini scrupuloso, quod alicui vertigine laboranti, qui per alta loca incedens, quanto magis aspicit & apprehendit altitudinem, tanto magis auget vertiginem: ita quippe scrupulosus ex nimia sollicitudine evitandi peccata venialia, vel expiandi commissa, tanto magis auget scrupulosam sollicitudinem & anxietatem. Est tertio ignorantia intellectus nescientis distinguere inter iudicium practicum & speculativum, inter tentationem & consensum, inter gravem & levem culpam, vel obligationem legis.

Ex parte corporis est in primis complexio melancholica in timiditate & suspiciones proclivis. Item corruptio seu infectio humorum in anteriore parte cerebri, ubi vis imaginativa residet. Inde fit, ut homo imaginationibus obnoxius, & ad sinistra vergens, sæpe pro malis apprehendat, quæ talia non sunt.

Causa extrinsecæ sunt primò. DEUS ipse volens vel tepidos stimulare ad perfectionem, vel fervidos amplius probare & expurgare. Secundò tentatio dæmonis scrupulos immittentis & exaggerantis, ut hominem à multis bonis impediatur, ipsi tædium virtutis ingeneret, adigat ad desperationem. Tertio. Conversatio & familiaritas cum scrupulosis, sumuntur enim à conversantibus mores, & animus fociis mala sua affricat. Item lectio Authorum præcepta DEI & Ecclesiæ omnia in severiorem partem interpretantium, relicto benigniori sensu & epikià, quo etiam pertinet usus Confessarii & Directoris scrupulosi, qui cum ipse ex hoc morbo laboret, difficile ab illo liberabit pœnitentem, & audiet illud antiquum: Medice cura te ipsum.

ARTICULUS II.
De remediis scrupulorum.

SUMMARIUM.

1. Primum remedium generale scrupulorum, oratio.
2. Secundum, obsequii consiliis prudentium.
3. Tertium, rejicere scrupulum in primis initiis.
4. Quartum, credere, quod debeat contra scrupulum sequi sententiam minus tutam, aut probabilem.
5. Quintum,

R 3

5. *Quintum. In dubio, an aliquid sit scrupulus vel dubium, presumere, quod tantum sit scrupulus.*
6. *Sextum. Meditatio obsectorum consolationem & fiduciam afferentium.*
7. *Septimum. Cogitare, quid ipse aliis in simili consilii daret?*
8. *Observanda ex parte Confessarii.*
9. *Remedia pro anxio de consensu dato in tentatione.*
10. *Remedia pro anxio, an ritè fuerint peccata confessi?*
11. *Remedia pro anxio de recitatione Horarum Canonicarum, & prolatione forme sacramentalis.*
12. *Sentiendum de Domino in bonitate.*

§. I.

Generalia remedia scrupulorum.

1. **R**emedia scrupulorum alia sunt ex parte ipsius scrupulosi, alia ex parte Confessarii, seu directoris. Ex parte scrupulosi primò remedium generale est, adhibere suam, aliorumque orationem, quod remedium suggerit Jac. c. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet a DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Et Rex Josaphat 2. Paralip. c. 20. sic orans: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc habemus solum residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*
2. Alterum generali scrupulorum radici oppositum est submittere suum iudicium prudentum & bonorum virorum consilio ac directioni, & credere firmiter, fieri non posse, ut curetur à scrupulis, nisi parendo consilio confessarii. Cùm enim scrupulus procedere soleat ex levibus fundamentis, & vehementi imaginatione, & scrupulosum conjiciat in periculum corporis & animæ; ideo dummodo pars opposita sit probabilis, debet illam scrupulosus tanquam probabiliorem & tutiorem amplecti, neque peccabit, tamen si à parte rei contingeret sententiam esse falsam: cùm opinio, quæ ex se est minus probabilis, in concursu scrupuli, sive respectu scrupulosi propter pericula è scrupulis emergentia fiat securior & probabilior. Cùm igitur probi & docti viri, vel confessarii consilium jam faciat sententiam probabilem respectu scrupulosi, ideo si moneat agere oppositum illius, quod scrupulus dicit, potiùs confessario, quàm scrupulo est obsequendum, & sive scrupulosus operetur deposito scrupulo, sive agat contra scrupulum, semper licitè operabitur, cùm non obstante scrupulo ex parte iudicii speculativi habeat conscientiam practicè certam, sibi hinc & nunc licitum esse contra scrupulum operari. E.g. scrupulus tibi dicit, non posse te accedere sacramentum Communionem, nisi priùs repetita confessione, in qua putas, vel dubitas, te aliquod peccatum, vel circumstantiam omisisse, Confessarius verò te jubet etiam non repetitâ confessione Sacramentum accedere, obsequi debes confessario, credendo, licitam tibi esse S. Communionem, quidquid scrupulus contra obmurmuret, quod adeò verum est, ut homo vehementer scrupulis agitatus licitè sequatur contrariam opinionem Confessarii, tamen putet, se posse jurare, quòd v. g. aliquod peccatum non sit confessus, quòd con-

fenserit &c. Ita Navarr. Rodrig. Bossi, Rosselli aliique, qui etiam rectè monent, scrupulosum postquam à Confessario, vel alio viro docto & prudente consilium accepit, non debere vago discursu plurium consilia expetere; id quippe magis augeendis, quàm minuendis anxietatibus delerviret.

Tertium est. Scrupulo pulsanti in primis iustitiis aditum occludere, cogitationem ad alia & causas, unde scrupulus generatur, divertendo.

Quartum est, ut firmiter sibi persuadeat, se posse sententiam probabilem, etiam si minus tutam & probabilem deposito scrupulo, vel contra scrupulum sequi, tamen si contraria argumenta Doctoris non possint solvere. Siquidem sententia ex se minus tuta & probabilis, respectu scrupulosi fit tutior, & probabilior.

Quintum est. In dubio, an aliquid sit scrupulus, vel verum dubium, posse scrupulosum presumere & iudicare, quòd sit merus scrupulus, eumque deponere, cùm hoc opinandi sufficienter sit fundamentum, quòd sciat, esse se scrupulosum. Imò quoties advertit scrupulosum, potest securè agere contra illum. E.g. scrupulus dicit, repetendam esse horam Canonicam, quòd fueris voluntariè distractus; noli repetere; scrupulus jubet repetere confessionem, eò quòd aliquam circumstantiam omiseris, noli repetere, &c.

Sextum est. De gloria cælesti, de bonitate Divina, deque aliis, quæ ad spem erigendam, animique tranquillitatem conducunt, colloqui & meditari, prætermittis, quæ terrorem, metuque ingerunt, quemadmodum etiam vitanda est cum scrupulosus conversatio.

Septimum pro viris doctis est, ut cogitent quid consilii aliis hominibus sese accedentibus in simili casu darent, frequenter enim contingit, ut erga alios clementes & lenes, sibiipsis nimium esse rigidos.

Ulterius ex parte Confessarii observandum, ut curet præmemorata remedia à scrupulo in præxin deduci. Ideo ostendat ipsi obligationem deponendi scrupulos & obediendi Confessario ob gravia damna, quæ ipsi è scrupulis eventuant. Sit resolutus & cordatus in consulendo, aliis quippe pœnitens etiam in deponendis scrupulis vacillabit. Dubia scrupulosi explicet in benigniorem partem, ejusque credulitatem quantumvis levem de non commisso peccato &c. pro certitudine accipiat; siquidem contra scrupulum, et inani imaginatione omnia in majus attollentur, & præsumptio. Ideo si scrupulosus ambigat, an aliquod peccatum commiserit, vel confusus sit, eundem ab ulteriori examine & investigatione dehortetur; nec permittat ejusmodi dubia peccata consistere.

Insuper suadeat verè scrupuloso, ne credat se peccasse, vel aliquod peccatum esse mortale, nisi de hoc tam sit certus, ut jurare possit. Imò si nimie foret scrupulis absorptus, tamen si electus paratus jurare de commisso peccato, tamen non deberet ipsi credi, neque ejusmodi peccatorum confessio permitti, cùm experientia constet, tantam esse istorum hominum obstinationem, ut etiam jurare sint parati, dummodo permittantur ipsi

ipsis reiteratio confessionis, uti tradit Bosius p. 3. tit. 1. §. 54. & Joa. Sanch. disp. 41. n. 24.

Non permittatur multum loqui de suis scrupulis, & si consilii causâ aperire velit, Confessarius illos pro nugis & ineptiis habeat, & abscondat sermonem. Et ne identidem à recurso scrupuloso molestiam patietur, præscribat ipsi regulas, secundum quas possit se expedire ab occurrentibus scrupulis. Si pro materia confessionis nihil nisi scrupulos afferat, sine absolutione mittatur ad S. Communionem. Denique Confessarius cum omni patientia scrupulosum tractet, neque de ipso desperet, pro conditione tamen subjecti, modò a superiori, modò leniori utatur modo, utque tantò sit efficacior in persuadendo, periculum scrupulosi in se recipiat, & promittat pro ipso respondere in extremo iudicio.

Sed quid si scrupulosus fallatur in obsequendo consiliis Confessarii, & verè omisit Horam Canonicam, non expresserit in confessione peccatum, consenserit &c. peccabitne penitens? Peccabit enim verò materialiter, non formaliter, cum status scrupulositatis, & prudens iudicium Confessarii sufficientem, imò majorem faciant probabilitatem practicam, ex qua practicè certum iudicium format, sibi hic & nunc sequendam esse sententiam Confessarii.

§. II.

Remedia pro scrupulosis in particulari.

9. Sunt igitur primò, qui graves animi anxietates patiuntur, ex dubitatione, an alicui tentationi v. g. blasphemiz, impudicitiz &c. consensum dederint, qui si sint conscientiz timorata [non enim est sermo de hominibus laxa vita, qui passim impuris voluptatibus ex consuetudine se inquinant, & in proximas peccandi occasiones conjiciunt, qui si dubitant, an consenserint, propter malam consuetudinem meritò pro se possunt præsumere] pro se debent præsumere, & judicare, quòd non consenserint. Cujus signum evidens est horror & displicentia, quam habent de ejusmodi tentationibus & peccatis; siquidem & Christus D. S. Theresia [ut refert Josephus Rossell cic] revelavit, horrorem peccati, quem quis habet, esse signum charitatis peccatum excludentis. Cum igitur scrupulosi etiam umbram peccati sollicitè abhorreant, quis credat, eos tentationi facile consensisse? Secundo: Si sæpius repetere solet propositum, nunquam DEUM graviter offendendi, eique in omnibus placendi. Tertiò: Si ex interna tentatione non processit in actum externum, cum è consensu interno facilissima sit via etiam ad actum externum.

10. Secundo. Plurimi patiuntur scrupulos, quòd nunquam ritè & integrè fuerint confessi, quòd numerum aut circumstantias peccatorum non debite expresserint, quòd requisitum de peccatis dolorem, aut efficac propositum emendationis non elucuerint: ideo imaginantur, priores confessiones fuisse invalidas, easque identidem volunt repetere, aut generalem confessionem de tota vita instituere, unde novo scrupulorum labyrintho sese intricant. Audiant isti Ludovicum Granatensem monentem: Confessio Sacramentalis non

fuit instituta ad injiciendos conscientiz laqueos, sed ad eam pacandam, & sepelienda peccata, morali diligentia manifestata, & scrupulos inde ortos. Postquam igitur scrupulosus sua peccata cum morali diligentia fuit confessus, debet juxta prudentis Confessarii iudicium acquiescere, neque permittendus est peccata jam exposita denuo repetere, aut Confessionem generalem instituere, sed neque nimis exactâ diligentia in peccata inquirere, multò minùs, an priores Confessiones fuerint validæ, debet examinare. Sciat quoque ad percipiendam de peccatis absolutionem non esse necessariam contritionem, sed sufficere attritionem, quæ facili negotio obtineri potest: nec requiri necessariò explicitum & formale propositum non peccandi de cætero; sed sufficere virtuale & implicitum, quod in efficaci dolore imbibitur.

Tertiò. Multi vexantur scrupulis in recitando Officio Canonico, aut proferenda forma Sacramentorum, vel quòd existiment se debita intentione, aut attentione caruisse, vel verba non integrè pronunciâsse &c. ideo inani studio de novo recitare, & pronuntiare incipiunt, & nullum quasi repetendi finem faciunt.

Isti quoque consilium docti & prudentis viri, quæ ipsis ostendat, quid ad implendum præceptum sufficiat, pro regula habeant. Non credant, se aliquid omisisse, quamvis omnimodam certitudinem non habeant de aliqua hora, aut psalmo recitato, dummodo alias consuetudinem habeant Horas integrè recitandi.

Sint contenti intentione virtuali, vel exercitâ, qualis illa est, dum librum breviarii in manus accipiunt, & incepturi cruce se signant, sintque in ea dispositione, ut interrogati, quid hic & nunc agere vellent? responsum darent, velle se obligationi recitandi breviarii satisfacere. Neque mentis evagationes & distractiones graviter nocere existiment nisi cum plena advertentia, & datâ operâ mentem ad alia diverterint.

Denique universim scrupulosi & de sua salute anxii animum sæpius applicent ad recogitandam infinitam DEI bonitatem & amabilitatem, qui non vult mortem peccatoris, nec delectatur in ejus perditione. Sentiant de Domino in bonitate, & audiant Christi invitantis vocem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11. Sanè ad omnem anxietatem depellendam sufficere poterit immanis DEI misericordiz, & pietatis recogitatio, prout devotè expendit Venerabil, noster Blosius de consolat. pusill. c. 17. §. 2. Nulla, inquit, meroris magnitudo, nulla angustiarum acerbitas, nulla defectuum multitudo, nulla scelerum enormitas, nulla peccatorum turpitudine re ad desperationem, nimiamque pusillanimitatem adducat. Quantumcumque peccaveris, semper DEI misericordia in infinitum tuas iniquitates excedit, quantumcumque infirmus sis, semper illius benignitas parata est adjuvare tuam fragilitatem. Et §. 3. Quantumvis magni peccatores & imperfecti homines simus, quare non cum humili & plena fiducia ad DEUM convertimur, qui est abyssus inexhausta pietatis, cujus natura bonitas, cui proprium est semper misereri & parcere?

DISPU.